



DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
DE

1743 10
49 9

DEFENSIONE ALTERIVS
OCVLI QVANDO ALTER QVOCVN-
QVE MODO VISV IAM PRI-
VATVS EST.

QVAM
EX CONSENSV GRATIOSI ORDINIS MEDICI
PRÆSIDE

DN. JOANNE JUNCKERO

MEDICINAE DOCTORE EIVSDEMQUE PROFESSORE
PVBLICO ORDINARIO

DECANO H. T. SPECTATISSIMO

DOMINO PATRONO, PRAECEPTORE AC PROMOTORE PATRIS
INSTAR COLENDO

PRO GRADV DOCTORIS

LEGITIME OBTINENDO

AD D. NOVEMBR. MD CC XLIII.

PVBLICE DEFENDET

AVCTOR

GABRIEL BAVIER

EQVES GRISO.

HALÆ MAGDEBYRGICÆ

Typis IOHANNIS CHRISTIANI HILLIGERI Acad. Typogr.

DISSERTATION
OVER OF ANATOMY OF OCULI
DRO. OF TWO PARTS
BY
DR. JOHANN JANKNERO
MEDICAL DOCTOR IN THE UNIVERSITY OF
WÜRZBURG
PUBLISHED BY
C. SCHUBERT
WÜRZBURG
1845



QVOD. BONVM. FELIX. FAVSTVM. ET. FORTVNA
TVM. SIT.

SVMMO. NVMINI.

DEO. OPTIMO. MAXIMO.

GENERIS. HVMANI. STATORI. VNICO.

NEC NON

PATRIAE. ET. PRINCIPI.

INVICTAE. ET. POTENTI.

TRIVM. FOEDERV. RHAETORVM.
INALPINORVM.

REIPVBLICAE.

OMNIBVSQVE. OMNIVM. ORDINVM. EIVS. CIVIBVS.

HOC.

QV ALECVN*QVE*. PROPECTVVM. ACADEMICORVM.
SPECIMEN.

IN. SINCERAE. PIETATIS. DEBITIQVE. OFFICII
TESSERAM.

SACRV. CONSTITVIT.

SIMVLQVE.

VT.

IN. SVMMI. NVMINIS. CEDAT. GLORIAM.

PATRIÆQVE. CARISSIMÆ.

EMOLVMENTVM.

QVICQVID. IN. ARTE. SALVTARI. VTILE. DIDICIT.
ET. VTRIQVE. SERVIAT.

QVICQVID.

IN. ÆGROTORVM. SALVTEM.

LOQVETVR. ET. LEGET. ET. SCRIBET. ET. NVMERABIT.

VERE. ET. EX. ANIMO.

OPTAT.

AVCTOR.



PROOEMIUM.



*S*ymbolismum sensuum externorum
observare non adeo licuit, ita,
ut uno læso, alterum etiam ma-
li socium esse oporteat, hinc v.
g. læso visionis sensu salvus aurium sensus,
& v. v. esse potest, excepto, quod sensuum
biga, odor nimirum & gustus magnum in-
ter se alant consensum, attestantibus id
ipsum anatome & experientia. Ex Anato-
micis enim constat, quod quidem par ner-
vorum olfactorium per pituitariam disper-
sum sit, sed insuper nervi, qui ad odoratus
organon & linguam abeunt, sunt paris quin-

ti αὐτοῦ, hinc consensus. Deinde experti hoc credunt, qui gravedine laborant, quippe in quibus ad tempus gustus perit. *Majorem vero inter se alere consensum videntur organa sensuum, quæ bina uni sensui dedit natura, ita ut uno organo illius sensus læso, alterum ejusdem sensus facile lædatur, comprobante id visionis sensu, ubi oculo uno læso alter quoque facile lædatur.* Num hoc de *auribus* valeat, tam certo non determinatur, nisi quod BONETVS *Anat. Pr. T. I. L. I. Sect. XIX. obs. VI.* sequentia doceat: *Nervi auditorii exortus docet, cur a nativitate plures auditu capiantur, quam ullo alio sensu, nam cum a cerebello prodeant, nec longe producantur facile mucosis excrementis opplentur; hinc fit, quod semper a nativitate ambæ aures adficiantur, ut CASSIVS docuit, cum ex morbo plerumque unam solum affici contingat.* Hoc limatiori aliorum iudicio relinquo. Cum vero *oculo uno læso alter quoque facile lædatur* hinc non inanem mihi sumsisse operam videor, hancce materiam pro Themate Dissertationis meæ Inauguralis seligere. Faxit luminum pater, ut omnia cedant feliciter.

MEMBRVM I.

QVOD DE VARIIS, QVIBVS OCVLII, VISV
POSSVNT PRIVARI, MODIS
EXPONIT.

§. I.

DE variis visus perdendi modis in hocce mem-
bro acturis, quid visus sit, & quæ ad eundem
requirantur, uberius ut exponamus, nobis
cumprimis incumbere videtur.

§. II.

Visus est objectorum, vi luminis in retinam sani
oculi impingentium, perceptio.

§. III.

Perceptionem dicimus actum mentis, quo objectum
quodcumque sibi repræsentat. Videmus igitur vel ex
his, uti ad reliquos sensus externos, sic etiam ad eo-
rundem facile nobilissimum, visum puta, quatuor
potissimum requiri momenta, ens scilicet percipiens,
organa objectorum imagines recipientia, eaque legiti-
mo modo constituta, objectum iuste distans, atque me-
dium quoddam organa inter & objectum percipiendum
intercedens.

§. IV.

Diximus §. III. ad actum huncce repræsentationis
ens requiri percipiens, ex parte igitur nostra esse du-
cimus, ut quid, & quale hoc ens sit, curatius paullo
explicemus. Est autem spiritus ille finitus inorgani-
cus, intelligens, immortalis, corpori inorganico inclu-
sus, quem alias animam dicimus. Requiritur autem

in hoc ente percipiente *actualis ad sensoria adplicatio*, ut sensationum sibi conscium sit. Anima enim aliis serio intenta sæpe nec videt, nec audit, &c. licet objectis cuique sensorio propriis præsentibus, hinc inde pronaturas etiam ideas nec æstimat, nec intelligit, nec iudicat.

§. V.

Fuerunt quidem olim, & hodie adhuc sunt, inter eruditos, qui *materiam quamdam subtilem percipere* putarunt, satis autem solide contrarium demonstrando eosdem refutavit vir clarissimus M. MEIERVS in dem Beweis, daß keine Materie denken könne. Crambem igitur satis coctam recoquere mihi viderer, si in demonstrando hocce principio prolixior esse vellem.

§. VI.

Alterum, quod ad visum necessario requiritur momentum, sunt *organa*, sive partes illæ organicæ corporis, in quarum mutationibus continentur rationes rerum visibilium, quæ *oculi* appellantur.

§. VII.

Quum autem de variis visus perdendi modis, uti supra jam professi sumus, in membro hocce agere animum induxerimus, visus autem læsus, vel plane deperditus, organorum vitium, vel læsionem quamcunque pro causa habeat, e re nostra erit, ut, *quomodo illa in statu secundum naturam sint constituta*, breviter exponamus.

§. VIII.

§. VIII.

Vt plurimum autem & quidem satis commode, partes istæ organicae distinguuntur in *partes oculum ambientes*, & *oculum stricte dictum*, seu *bulbum*. Inter partes oculum ambientes primum se nobis sistunt *duæ palpebræ*, sive partes illæ, quibus oculus in somno, vel alias imminente quocunque periculo occultatur, vel etiam ob solis radios, vel alius objecti molestiam data occasione tegitur. Quibus porro accedit, ut palpebrarum beneficio ex oculis tam res præternaturales, quam nimii humores, oculos irrigantes, abstergantur. Constant autem *cute*, *cuticula* cum *panniculo* quodam *carnoso*, omnibus tamen admodum tenuibus; id quod ex eo colligitur, quia sol, vel aliud lumen, haud remotum per illos transpareat. In quolibet etiam margine *limbum cartilagineum* habent, arcus instar incurvatum, Græcis *ραφα*, Latinis *cilium* dictum, porro *pilos*, *glandulas*, *vasa*, *nervos* & *musculos*. *Pili* vel huic cartilagini arciformi implantati sunt, hincque dicuntur *cilia*, vel in margine orbitæ superiori ceu sylva densa, arcuata crescentes, qui *supercilia* vocantur. Hæc res a capite decedentes, illa vero aliunde advenientes detinent, ne nec superne, nec inferne, nec lateraliter in oculos involare possint. In tarso sitæ sunt *glandulæ sebaceæ Meibomii*, granulosa, subflava, oculis apertis humorem eructantes, quo margines palpebrarum inungunt. Insuper palpebræ *vasculosissimæ* sunt. Vasa autem sua accipiunt a carotide externa. *Nervulis* etiam instructæ sunt, quos a paris gustatorii ramo superiori

B

seu

feu ophthalmico accipiunt; imo ramuli portiones duræ nervi auditorii interdum ad palpebras abeunt. *Musculorum* tandem palpebras moventium proprie duo tantum sunt: *attollens* scilicet, sive *elevator palpebræ superioris*, qui a fundo orbitæ provenit, & tendine suo ad palpebræ usque marginem sese extendit, atque palpebræ superiori proprius est; & *deprimens*, vel si accuratius illum consideremus, *circularis*, sive claudens, qui palpebram tam superiorem quam inferiorem, sphincterum more constringit.

§. IX.

Sequitur *glandula lacrymalis*, olim *innominata* dicta ad canthi minoris latus in orbita sita, quæ humorem aquoso-salsum, blandum oculum irrigantem, lavantem secernit, simulque, dum hunc per proprios ductus hygrophthalmicos oculo continuo adfundit, tum ejusdem & palpebrarum motum reddit faciliorem, oculum a concretionibus cum palpebris præservat, tunicamque corneam pellucidam servat. Quod humoris restat, *puncta lacrymalia* recipiunt, ad *sacculum lacrymalem* dimittunt, atque in *ductum nasalem* infundunt, ex quo denique vel per nares, vel in pharyngem manat. In cantho oculi majore *carunculam* videmus *lacrymalem*, quæ per poros suos lacrymas excernit, excretas eadem, uti supra, via per nares ablegat. *Adipis*, quæ oculum investit, copia non minus eundem ceu pulvinar, ab orbitæ protuberantiis munit, quam musculos agiles, oculum vero ipsum in situ servat. Maxima autem ex parte oculum *orbita* cingit ossea, ac eum a quacunque læsione

læsione ab inde metuenda quantum fieri potest, defendit.

§. X.

*Musculorum oculum moventium sex numerantur, quorum quatuor recti, duo vero obliqui audiunt. Priores propter usum singularem singularia acquirere nomina. Hinc primus attollens, s. superbus, alter deprimens, s. humilis, tertius abducens, s. bibitorium, quartus adducens, s. indignabundus nuncupatur. Ex orbitæ fundo carnei prodeuntes, & in medio tendinescentes in oculi medium se inferunt, atque simul eademque vi agentes oculum elevant, deprimunt, adducunt naso, abducunt, in quiete servant, rotant, comprimunt, ac elongant. Duo obliqui magnitudine admodum differunt, quorum alter trochlearis, s. superior, alter vero minor s. inferior dicitur. Ille ex fundo orbitæ juxta bibitorium carneus oritur, & in progressu in rotundum tendinem mutatus transit per cartilaginem, mediante ligamento membranaceo ad canthi minoris latus adfixam a figura & usu trochleam dictam. Ab hac tendine admodum tenui versus superiorem bulbi regionem reflectitur, sub musculum attollentem incedens definit in globum oculi prope abducentis insertionem. Quæ noviter circa mirabilem hujus musculi trochlearis structuram & usum agitata fuerunt controversiæ, legi cum fructu possunt in *Actis Medicorum Edimburgens.* inscripta: *Medical Essays and observations by a Society in Edimburgh, Vol. I. p. 57. edit. 1733.* Hic vero parti orbitæ inferiori originem debet, atque a ductu na-*

fili oblique tamen prope canthum oculi minorem bulbum percurrens ad superioris tendinem se inferit. Haud igitur difficile erit eorundem usum & actionem explicare, est enim oculum in gyrum movendi.

§. XI.

Sequitur nunc considerandus *oculus* strictè dictus, seu *oculi bulbus*. Partes illum constituentibus sunt *tunica*, *humores*, & *vasa*.

§. XII.

Tunica: Vagina illa, qua dura mater nervum opticum circumvestit, orbitam ingressa mox explicatur in globum fere perfectum, membranaceum, imo coriaceum quasi, totum oculum involvens, & ubi opaca, *sclerotica*, ubi diaphana, & tenerior est, *cornea* vocatur, quæ, ut PLINIVS loquitur, *fenestravit pupilla*; in varias lamellas dividua invenitur, hinc LEEUWENHOEK in septem lamellas divisit eam, alii in pauciores. Oculum in figura continet, vasorum fulcimentum præbet, & tendinum musculorum insertioni servit. *Choroidea* sub *sclerotica* situm habet, & interiorem illius faciem constituit *lamella*, RVYSCHIANA dicta; utraque copiosissimis vasibus pertexta & nigrore obducta est. Margo choroideos excurrens *Uveam* format; pars anterior choroidea per corneam conspicua est. In hac adnotanda veniunt facies anterior, *Fris* dicta, quæ multicolor, in aliis enim nigra, in aliis fusca, in aliis grysea, glauca, carulea est; & *pupilla*, s. *pupula* (quæ est foramen rotundum) in medio uveæ, dilatari & constringi apta. Facies deinde

deinde uveæ posterior nigra, five aterrimo pigmento obducta est, quo absterfo in conspectum veniunt *sphincter pupillæ*, qui ex fibris muscularibus orbicularibus constat, sub quarum actione pupillæ foramen constringitur; *processus ciliares*, pro illius dilatatione; porro *ligamentum ciliare*, pro motu humoris vitrei & lentis crystallinæ; & tandem *circulus arteriosus* & *venosus*, ex quibus excurrunt vascula, quæ mirabili reptatu per uveam, choroidem, humorem vitreum, & lentem crystallinam iter suum conficiunt. Spatium illud uveam inter & corneam, *camera oculi anterior*, illud inter uveam & lentem crystallinam *camera posterior* vocatur. Prior major, posterior minor est. *Retina*, quibusdam *amphiblestroidea*, organon visus primarium, est medullofæ portionis nervi optici in fundo bulbi sub vitreo instar tenerrimi mucici expansio; hinc nihil aliud est, quam nervus opticus continuatus, & explicatus seu expansus. Tandem oculus in orbita locatus accipit membranam, *albugineam*, *adnatam*, s. *conjunctivam* dictam. Est membrana laxa, mobilis, pellucida; perioftio oritur ex ambitu exteriori orbitæ, in anteriori parte tantum hæret, & qua firmatur, sine mobilitatis impedimento, oculi bulbus.

§. XIII.

Offerunt sese ordine *humores*, quorum tres sunt: *Humor aqueus*, *vitreus*, & *crystallinus*, s. rectius *lens crystallina*.

§. XIV.

Primus est *humor aqueus*. Vtramque oculi ca-

meram replet. Est humor maxime diaphanus, falsiusculus, inodorus, amissus sponte renascens, cito exhalans, in juventute pellucidissimus, sensim fit aphanus, in senio sæpe albescit. Uvea in illo libere quasi fluctuat, & movetur. Usus ipsius est flaccidæ corneæ convexitatem æqualiter tensam servare, uveamque suspensam sustinere. Præterea hisce partibus humectandis, lubricandis, in pelluciditate conservandis inservit.

§. XV.

Alter est *humor vitreus*. Est corpus maxime diaphanum, vitro fuso, vel gelatinæ pellucidissimæ simile, vasculis adducentibus, abducentibus constans, ut docet exstillans ex puncto humor, & exsiccatio, retinæ parti posteriori ubique contiguum; reliquos mole superat, aqueum duodecies, crystallinum quater. Estne musculus pellucidus? sec. *Malpighium*.

§. XVI.

Tertius est *lens crystallina*. Est utrinque fere sphaeroidea. Divisa enim in duas partes non duobus hæmisphæria, sed tantum segmenta sphaeræ refert. Constat ex numerosis segmentis sphaericis, fibrosis, arte unitis, pellucidissimis, sive ex lamellis pellucidis, sibi invicem ad 2000 numerum injacentibus, ad ceparum similitudinem contextis. Tantæ diaphaneitatis gradum habet, ut microscopiorum Leeuwenhœcianorum aciem eluserit. Estne musculus crystallinus? sec. MALPIGHIVM. Infinitis superbit vasculis, ut exsiccatio, ponderis amissio, & molis imminutio probant. Præterea foveæ vitrei humoris

ris

ris inclusa, cui superficie sua inferiore insidet. Sede sua detinetur ope membranulæ tenuissimæ humoris vitrei, & tunicæ, arachnoides dictæ, qua rupta lens excidit.

§. XVII.

Superfunt *vasa*. Vasa sanguiflua mirando artificio oculi partibus intertexta sunt. *Arteriolas* suas accipiunt a carotidibus internis & externis, quæ minutissimæ factæ lympham subtilissimam pro nutriendis oculorum tunicis & humoribus vehunt. *Venæ* partim sinibus duræ matris; partim jugularium venarum alveis sanguinem suum oculorum arteriolis refluxum reaffundunt. Specialiorem adhuc vasorum per oculos distributionem videtis in D. HEBENSTREIT *Prof. Lips. Progr. de vasis sanguiferis oculi*. Ex *nervis* oculis prospiciunt *nervus opticus*. Ingressitur e latere nasi oculum, hinc locus hujus ingressus pupillæ e diametro neutiquam oppositus, uti BRIGGS voluit, *Ophthalmograph.* cap. 3. Ratione altitudinis in medio quidem est, sed oculi bulbo secundum latitudinem dimenso unam tertiam tantum distat ab angulo oculi interno. Ergo axis opticus non incidit in punctum hujus ingressus, sed multum deflectit versus angulum oculi externum; & non sine ratione. Etenim si axis visus in eo loco esset, ubi nervi optici ingressus est, nulla objectorum apparentia coningeret, cum constet, quod locus, ubi nervi optici ingressus, cæcus sit, quod MARIOTTI experimento etiam primum evictum est. Deinde partium oculorum motorium musculis & tunicis oculi
prospi-

prospicit. Par quartum patheticum dictum, in musculus oculi trochlearem se dimittit. Pars quinti, gustatorii dicti ramus superior, s. ophthalmicus variis oculi partibus, palpebris ramulos impertitur; & tandem par sextum abducens per totum fere musculus oculi abducentem ramulos dispergit.

Conf. WINSLOWS *Anat.* COWPERS *Anatomy of the human body.* BOERHAAV. *Instit.* HEISTERI *Comp. Anatom.* alii.

§. XIII.

Tertium quod ad visum requiritur momentum, §. III. est *objectum coloratum, & juxta distans.* Multa hic ex *Opticis, Catoptricis, Dioptricis* repeti possent, sed breviter nos expediemus. Sine lumine nullus visus, per *pr. opt.* Cum enim per formalem visus rationem requiratur imaginum illuminatorum, aut coloratorum, cum color nil aliud quam lumen modificatum, in retina clara & distincta representatio, hinc necesse est, objecta sint visibilia, ita ut velex se lumen spargant, vel mutatio lumine resplendant; cumve lumen sit, quod corpora visibilia reddit, per *pr. opt.* hinc ad visum necessario requiritur, dum radii lucis penicilli quasi sunt, qui objectorum imagines in retina depingunt. Objectum deinde sit juxta distans. Radii lucis e corporibus emanantes linea recta progrediuntur, & in progressu suo magis magisque se diffundunt, hinc quo magis ab objecto recipiente remota, eo debiliores ad illud appellant, per *pr. opt.* Porro imaguncula in retina depicta in multo minori parvitate, quam actu objectum est, in retina

na repræsentatur, hinc vel ob parvitatem, vel ob nimiam distantiam illa indivisibili puncto similis fit, hinc objecti apparentia in oculo nulla, p. *pr. opt.*

§. XIX.

Quartum quod ad visum requiritur momentum, est *medium quoddam organa inter & objectum recipiendum intercedens*. Est omne diaphanum, per quod lumen in oculos nostros incurrit.

§. XX.

His præmissis modum fiendi visus adhuc subiungimus. 1) Radii lucis a puncto lucido, ceu centro quaquaversum versus omnia puncta lineis rectis feruntur, & ad corneam pellucidam adpellunt, quæ ob rotundio rem figuram radios necessario versus oculi centrum colligit; hinc quo planior est, eo magis radii divergunt, & pauciores in lentem crystallinam incidunt. 2) Hoc factò radiorum luminis corpora diaphana diversæ soliditatis subeuntium fit refraction, p. *pr. dioptr.* lens nimirum crystallina radios acceptos refringendo convergentes magis reddit, inque ea radiorum fit decussatio, cujus punctum apud opticos *focus* usurpatur. 3) Ex hoc loco de novo iterum sese per vitreum humorem diffundendo objecti visi imagunculam uni distincto retinæ puncto adpingunt.

§. XXI.

Prævisa formali visus ratione ad *varios*, quibus oculi *visu* privari possunt, *modos* progredimur. Numerosissima sunt visus læsi symptomata. Ut autem ophthalmopathiam nostram accommodæ methodi lege pertractemus, ordinem partium oculi sequemur.

C

§. XXII.

§. XXII.

Præmittendas vero censemus *causas extra oculum* vel in illius *vicinia* sedem habentes, quæ oculum premendo, protrudendo, &c. male adficiunt, visusque turbationem & læsionem inferunt, ut sunt tumores inflammati, apostemata, scirrhi, cancri, exostoses, & id genus alia, exinde enim figura oculi male mutatur, humores depravantur, eorum circuitus præpeditur, visus axis & radiorum in debito loco collectio turbatur; vel *in locis ab oculo magis distitis*. Quoad *primum*. Huc spectant observationes medico-practicæ sequentes: *Amaurosis a tumore globofo in cerebro nervos opticos premente*, BONETI Sepulchr. Anatom. T. I. L. I. Sect. XIX. Obs. 1. *Amaurosis ob vesicam nervos opticos circa crucifixionem prementem*, ib. eod. obs. 2. *Visus privatio ab abscessu in processibus mamillaribus*, ibid. eod. App. obs. 4. *Amaurosis a sero copioso inter utramque meningem cerebrum deprimente*, ib. eod. obs. 7. *Amaurosis ab aqua cerebri corticem madefaciente*, ib. eod. obs. 9. *Cæcitas inducta a tumore steatomatico inter cerebrum & cerebellum*, ib. eod. obs. 10. *Visus amissio in uno oculo ob cavitatem cerebri anteriorem sanguine cum seri copia plenam*, ib. eod. obs. 11. *Cæcitas ab aqua cerebrum inundante*, ib. eod. obs. 12. *Visus diminutio in vetula, cui pars cerebri sanguine suffusa, & mollior reperta cum insigni grumo sanguinis, peculiari cavitate incluso*, ib. eod. obs. 14. *Oculi proidentia ob tumorem cranium inter & duram matrem delitescentem*, ib. eod. obs. 28. Quoad *secundum*: Huc spectant *visus læsio ex ulcerum diuturnorum occlusionem*,

clufione, STAHL. *Diff. de affect. ocul.* p. 24. *Visus læfio a vermibus*, HOFFMAN. *Med. Syst.* T. 3. p. 74. *Visus amiſſio ex dentium dolore*, *ib.* T. 2. p. 321. *Amauroſis a tinea retropulſa*, LANGII *Opp.* P. II. c. 1. p. 316. *Amauroſis ex ulcere pedis intempèſtively occluſo*, TIMÆVS *Caf. medicin.* L. I. *Caf.* 28. p. 60. *Amauroſis ex conſolidatione ulcerum in crure & femore*, FORÉST. L. II. *obſ.* 35. p. 43. Huc adhuc referri poteſt *amauroſis a conceptione & menſibus ſuppreſſis*, quod præ aliis obſervavit BARTISCH *Ophthalmodul.* p. 6. c. 2. p. 87.

§. XXIII.

Progredior ad *cauſas in ipſius oculi partibus ſedem habentes*, & quidem primo ad *nervi optici viua*, viſus læſionem inferentia. Hæc inter ſunt *nervorum opticorum obſtructio*, *amauroſis*, ſ. *gutta ſerena* dicta; meatus intra nervi optici fibras medullares ex capitis concuſſione, lapſu vel alia cauſa violenta externa turbati, contorti; integer nervus opticus ex vulnere præciſus; vel ex inanitione, denegata nutritione exſiccatus, &c. Ita Patavii in *cranio cadaveris femini nervus opticus cum abolito oculi dextri lumine tabefactus* obſervatus fuit, teſte ROLFINCIO *Epir. affect. partic.* l. 5. P. 2. c. 1. p. 89. vid. ſimilis caſ. in SCULTETI *armam. chirurg. obſ.* 36. *Cæcitas ab extenuatione nervi optici*, BONET. l. c. *obſ.* 3. *Amauroſis a ſubſidentia ventriculorum cerebri & marcere nervorum opticorum*, *obſ.* 5. *Amauroſis a contorſione nervorum opticorum*, *obſ.* 8. *Cæcitas ob nervos opticos vi aque in hydrocephalo corruptos*, *obſ.* 13. *Viſus debilitas*

bilitas ab extenuatione nervi visorii, obs. 17. Cæcitas a corruptione nervorum opticorum, obs. 23. Cæcitas a nervis opticis crassefactis, & fragilibus, obs. 24. Amaurosin post crebra sternutamenta commemorat GVIL. FABRICIVS, cent. 1. obs. 24. PLATERVS l. 1. Prax. p. 239. ROLFINCIVS l. c. ubi probabile est, sentiente sic WEDELIO in Diff. de amaurof. p. 18. visionem tunc eatenus lædi, quatenus a forti hac totius cerebri concussione subtiliores nervorum ramificationes aut relaxantur, aut abrumpuntur, tonusque partis labefactatur, vel aliæ etiam læsiones contingunt. Huc referenda esse videtur temporaria illa visus amissio, in hypochondriacis & hysteris obvia. Cum enim nervus opticus per spatium aliquod arteriam carotidem comitem habeat, hinc fit, ut sub impetu humorum versus caput ruentium carotis cruoris infarctu tantum in modum turgeat, ut nervum opticum comprimat, visumque intercipiat; defervente autem impetu, & inflatione carotidis cessante visum iterum reassumunt.

§. XXIV.

Vifendi dein *palpebrarum morbi*. Potissimi sunt sequentes: *Palpebrarum inflammatio* a causis variis progigni solita, quæ nimirum impetuofum per arterias adfluxum concitant, & per venas refluxum remorantur. *Ψωροφθαλμία. lippitudo pruriginosa*. In hac palpebrarum rubor, tumor, lacrymarum salinocrurium stillicidium, ductibus lacrymalibus materiam purulentam stillantibus. *Σκληρίασις, s. scirrhusa palpebrarum durities. Τεράχωμα*, quod est asperitas interioris

rioris palpebrarum tunicae cum tuberculis instar granorum milii inaequaliter prominulis. Πρωσις, quando superior palpebra turgida, & ita suspensa est, ut non solum punctorius a pilis sensus inducatur, verum etiam visus impediatur; pendet potissimum a muscoli elevatoris paralyfi. Στεγνωσις, quae est excrescentia sub interiori palpebrarum membrana carnosa instar pisorum tuberosa, sanguinem pallido-roseum fundens. Inter palpebrarum morbos etiam est κησσις, in quo venulae per palpebras distributae nodosae, varicosae. *Cancer* palpebrarum, qui est ulcus subnigrum venis in ambitu turgentibus, colore livescens. Omnes nunc hi palpebrarum adfectus visum etiam mire turbare possunt; Omnibus enim hisce adfectibus laborantibus oculi fordescunt, & similia pati incipiunt.

§. XXV.

Morbi, quibus *canthi oculorum* & *glandulae lacrymales* infestantur, sunt *αγγιλωσις*, tumor carunculae lacrymalis, a sanguinis & seri lymphatici extravasatione & collectione nascens, qui, si non mature dispellitur, *αγγιλωσις* fit, sive in fistulam lacrymalem abit. *Εγκανθισ*, s. carunculae lacrymalis excrescentia a sanguine cancroso, aut pure per fibrillas solutionem continui passas effuso. *Ρωσις*, consumptio carunculae lacrymalis, comite involuntario lacrymarum stillicidio. Et sic etiam lacrymarum status praeternaturalis inducitur. Peccant enim vel quantitate, si ob interclusum humorum in palpebris itum & reditum, aut seri lymphatici continuum adfluxum abundant, aut

aut ob glandularum oculos irrigantium abolitionem deficiunt, aut ob miscelam particularum recrementiarum, viscidarum, spiffescentes, glutinosæ, aut ob subsalsarum partium admixtionem rodentes evadunt, aut cum sanguine aut pure remixtæ purulentæ adparent. Peccato igitur talium lacrymarum fiunt humiditates, visum varie turbantes, erosiones inflammatoriæ, & id genus alia.

§. XXVI.

Ex morbis *totum oculi bulbum* adficiantibus tantum nominamus *μικροφθαλμόν*, *parvum oculum*, *atrophiam oculi*. Est vel connata, vel causis succum nutritium oculi bulbo denegantibus pender, vel febrium chronicarum, cephalææ, lacrymationis immodicæ pedissequa est.

§. XXVII.

Prodeant nunc in scenam *tunicarum oculi morbi*. Primus est *ὕπόφαγμα*, quod est macula tunicæ albuginæ ex rubro livida. *Ophthalmia*, quæ est inflammatio tunicæ oculi albuginæ cum rubore, ardore, & larga lacrymarum exstillatione. Causa est sanguis vel cum imperu ad hanc tunicam adpellens, ibidemque lento gradu procedens, vel ob tubulorum sanguivohorum reciproco commeatui inservientium immutatam configurationem & seriem subsistens, quo deinde fit, ut vasa arteriolarum lateralia, quæ secundum naturam diaphanum, nulloque colore tinctum liquorem vehunt, a sanguine valide distendantur, & visui se sistant. Huic fere consimilis adfectus est *epiphora*, quæ

quæ est feri falso-acris, viscidæ sub lacrymarum forma ad albugineam cum rubore ac pruritu affluxus. *Ophthalmia σφακελίτις*, in sphacelum degenerans. *Πρεσβύτιον, unguis*, quod ab Autoribus describitur, quod sit membranula albicans, vasculorum rupturam, ipsiusque tunicæ albugineæ erosionem sequens, & succo nutritio viscido effuso pronata. Eidem albugineæ firmiter, & interdum corneæ adhærescit, & primum albescit, procedente tempore nigrescit, pupillam vel ex toto, vel parte obtegit, visuque privat. *Pannus* est, ubi adnata oculi tunica incrassatur. In *phlyctæna* vesiculæ, sive pustulæ lucidæ conspiciuntur, a sero albugineam inter & corneam, vel hujus lamellas effuso, modo cum, modo sine inflammatione. *Hypopium* est oculus purulentus, si pus vel inter corneæ lamellas, vel inter corneam & uveam, vel inter hanc & humores subditos collectum subsilit. *Uveæ* morbi sunt: *πρόπτωση*, s. *procentia*. Cornea enim aut per vulnus aut ulcus prævium hiatus facta, uveæ succedit prolapsus. *Pupilla πλατυκορία*, s. *præternaturalis dilatatio*, ita ut ad totius iridis ambitum expandatur. Inducitur a prava consuetudine, & diuturniori in obscuris carceribus detentione. *Μύωσις* est *pupille præternaturalis angustia*, vel connata, vel ex crebra corporum lucidorum aspectu, aut humoris aquei defectu, tabe, præpostero stypticorum usu proveniens.

§. XXIX.

Sequuntur *humorum ocularium morbi*. Inter præcipuos est *σπίχσμα*, s. *cataracta*. Est oculi læsio, quæ colorem pupillæ naturalem, ordinarie nigricantem,

tém, in album, gryseum, vel alium mutatum exhibet. *Illustr.* DN. PRÆS. *Cbirurg. Tab. LXXXVIII. p. 594.* Datur hic sententiarum divortium. Antiquiores statuerunt, formalem hujus adfectus rationem consistere in pellicula in humore aqueo genita, quæ foramen pupillæ claudat, & objecta visibilia illapsu arceat. Recentiores vero statuunt, quod cataracta consistat in lentis crystallinæ opacitate. Vid. HEIST. *Tr. de Cataracta.* Humor aqueus vel cum oculi distensione a feri lymphatici affluxu, *abundat*, & tunc nascitur *oculus elephantinus*; aut ob intensiores oculorum morus, vigiliarum molestias, senium, caloris excessum cum oculi marcore *deficit*; aut *stagnat* non renovatus, & putrescendo visus officinam perdit; aut *coloratus* spissatur, turbatur a particulis recrementitiis, heterogeneis, hinc suffusiones, &c. *Lens crystallina* vel in glaucum colorem ab interfluis, viscidis moleculis mutatur, qui morbus glaucoma vocatur cum objectorum cæsis colore quasi pictorum per fumum & nebulam apparitione; aut hydropica, aut atrophica fit, &c. hinc itidem videndi beneficio homines misere privantur. Si vero eadem lens crystallina in *figura, situ* suo vitiatum, alia adhuc & sæpe miranda mala visui accidunt. Huc spectat *myopia* quando homines objecta in proxima distantia posita clare & distincte, remota autem minus accurate, aut plane non dignoscere possunt. Oritur, si lens crystallina ratione figuræ globosior, aut paulo convexior, aut ratione situs retina remotior; sic enim radii objectorum centrum ipsius minus attingunt, sed divergendo ad latera uveæ extremis

tremis suis eam haud feriunt; si vero planior, aut figuræ magis depressæ, & retinae propior, homines reddit *πρεσβυρας*, vel *πρεσβωπία* pronascitur. Vitrei tandem humoris morbi sunt, si tunica, qua obducitur, quamve hyaloidea vocant, aphana redditur; vel si ipse aphanus evadit ob admixtas impuritates; vel mole peccat nimia, qua justam pupillæ dilatationem præpedit, humorisque crystallini compressionem efficit; vel mole justo minori, hinc tunicarum oculi corrugatio, pupillæ contractio, & spatium lentem crystallinam inter & retinam nimis arctum oritur. Hi sunt præcipui visionis læsi modi. Videtis plura & pluribus in I. M. HOFFM. *Disquis. C. H. anatomico-patholog. Spec. XIIX. p. 273. sq.* Hinc progredior ad

MEMBRVM II.

QVÆ RATIO, QVOD LÆSO OCULO ALTE-
RO ALTER FACILE QVOQVE
LÆDATVR.

§. I.

IN rationes hujus phænomeni inquisituri variæ ejus probandi rationes sese offerunt, quæ diviniõris medicinæ systemati satisfaciunt. Sicuti natura *microcosmica conservando suo corpori*, ceu completæ, & systemati multarum partium, mechanice constructarum, mirifice inter se invicem in certum finem unitarum maxime *intenta*: ita etiam *cujusvis partis integritatem* motibus suis mechanico-organice usæ, usura, *conservare* studet. Et quis in animum inducat, ipsam partium sui corporis *lesionem* quan-
dam

dam passerum custodiam deseruisse? Tantum abest, ut *sanarum* partium, integritate sua adhuc gaudentium curam abiiciat, ut potius *lesarum*, usuque suo privatarum, & curæ, auxilii magis indigarum haud immemor. Et sic certum est, quod pro objecto habeat *oculum & lesum & sanum*.

§. II.

Lesum inquam, textura, structura, partium conformatione vitiatum, pro majori vel minori læsionis modo debilem, infirmum, inertem, inermem; hinc eo minus nocentibus vincendis par est, nocituris semper patet. Ne itaque novis gravetur damnis, & causarum morbificarum direptioni objiciatur, arx quasi conjurata est, cui suppetias fert, licet sæpe in holtem putatitium se concitet. Quod ad *sanum* oculum attinet, profecto! impensior illi in eo conservando, præservando, altero jam læso, cura est. Et non sine ratione. Eteenim *oculum* adhuc *sanum binorum vice fungi* oportet. Rem simili illustrare liceat. Si in curru bijugo equi oneri movendo compares sunt, uno dijugato, & viribus partitis, onus altero tanto majus alteri incumbit. Sic est cum oculis. *Sanum oculum*, altero læso, *vires multo magis sub usu intendere* oportet, quam si focia alterius opera officio suo fungatur. Quid autem involuit hæc virium intensio aliud, quam actionem alicujus organi, quæ motu absolvitur. Quo fortior autem motus in aliqua parte, eo major humorum adfluxus, qui intensioris motus comes. Naturæ scopus est ille, ut *sanum oculum*, futuri cauta, ab
muni-

imminentibus periculis præservet, & in vigore conservet. Sub hac enim largiori humorum adfusione, appulſu, humores oculum in intimis ſecefſibus æque ac extimis oris tranantes in juſto fluxilitatis gradu conſervantur, & ſi qui fortan ſunt immobiles, mobiles, permeabiles redduntur, imo & depurantur, ut eo melius & humores & tunica oculi in ſummo illo diaphaneitatis gradu, qui ad viſum requiritur, conſtanter permaneant. Solidæ vero partes in majorem motum citæ promtiorem humorum ocularium motum, mutuum com meatum, itum & reditum promovent, ſtaſes, ſtagnationes præcavent, & impuratum abſterſionem a reliquis laudabilibus humorum partibus adjuvant; & ſic mobilitate humorum, flexilitate fibrarum, humiditate viarum, & permeabilitate canalium, oculo, officio ſuo functuro quam optime proſpicitur.

§. III.

Verum enim vero *intentio* quidem bona, ſed quæ fine interdum cadit, ſpesque proh dolor! decollat. Etenim *ab hoc natura conatu, & conſictu*, ab hac largiori humorum adfusione, ceu fonte *varia ſcaturium mala*, quæ illius vel *comites* ſunt, vel *pediſſequæ*, quæ oculi adhuc ſani integritatem non tantum non illibatam conſervant, ſed & in ſtatum ruinoſum conjiciunt, vel plane viſus officinam perdunt. Sub his enim motibus congeſtoriis, appulſoriis, tenſoriis, preſſoriis ad ſanum oculum, bona licet intentione, directis fluidorum copia plus juſto majori fit accumulatio,
D 2 hinc

hinc stagnationum, stasium, corruptionum periculum; in solidis contingunt vasorum inflationes, distensiones, & alia noxæ, quæ in locum resolutionis, absterfionis, discussionis, defensionis male succedunt. Rebus sic stantibus tempestivis consiliis æque ac auxiliis sani oculi integritati tuendæ succurrendum. Et hoc nos vocat ad

MEMBRVM III.
QVA METHODO DEFENSIO OBTI-
NEATVR.

§. I.

Hanc defendendi sani oculi methodum absoluant sequentium momentorum practicorum tri-
gæ, quorum *primum* est: *quantitatis imminutio*; *secundum*: *congestionis revulsio*; *tertium*: *oculi roboratio*.

§. II.

I.) *Quantitatis imminutio*. Hæc obtinetur per *venesectionem* bis per annum, circa æquinoctia, vel ter, imo pro individualitatis ratione quater institutam. Cui pro rerum exigentia *scarificationes* subungi possunt. Plethora fecunda morborum mater est, & motibus anomalis vario modo causam præbet. Et solidis & fluidis præjudiciosa existit. Nimia enim movendorum moles solidorum potentias motrices debilitat, his debilitatis libera & æquabilis sanguinis & humorum circulatio retardatur, hac retardata sanguis ipse ad loca excretoria minus

minus vegete appellit, & ob partium rejectaneorum remanentiam spissus, impurus, minus permeabilis redditur. Hinc dein natura congestiones ominosas, impetuosas versus hæc vel illa loca molitur, præsertim illa, quæ quasi arx conjurata sunt, uti in nostris subjectis fit. Adde, quod si subjecta nostra antea hæmorrhagicis motibus, caput respicientibus, narium hæmorrhagiis, catarrhalibus defluxionibus obnoxia, aut levi data occasione coryzas, gravedines, aut alios capitis adfectus ob oculi jamjam læsi, aut adstuerudinis rationem, aut mensum aut hæmorrhoidum negotium turbatum, suppressum, aut neglectas evacuationes consuetas experta fuere, quod, inquam, in ejusmodi motus particulares versus caput directos proclivior fit; quantitate autem imminuta, motus per universum corpus æquabiles facilius suscipit, tantumve sanguinis ad quamvis corporis regionem & partem amandatur, quantum s. n. satis est, quo dein fit, ut exinde pronatura mala aut mitigentur, aut præcindantur.

§. III.

II. *Congestionis revulsio.* Cum venæsectionis & scarificationum scopus fit *evacuatorius* & *revulsorius*, hinc eadem sanguinis per venam tusam missio, & cucurbitularum applicatio *socias* ad hunc scopum obtinendum *prestant operas*. Natura enim onere prius levata a motibus congestoriis, quibus satis pertinaciter interdum inhaeret, facilius tunc avo-

camentis admissis partes obsessæ cum infecuturo le-
vamine liberantur. Si pharmacorum usus neces-
sarius judicatur, *catarrhalium* vel *benignorum la-
xantium* ope, humorum adfluxus a capite commo-
de divertendus. Deinde securitate & efficacia præ-
stans congestionum a capite divertendorum medi-
um sunt *pediluvia*, attestante id ipsum B. STA-
LIO *Diff. de affect. ocul.* p. 32. Confiant vero vel
ex sola aqua dulci, levi, pluviali aut fluviali, sine a-
liarum rerum additamento, vel si non semper bo-
næ notæ aqua haberi possit, lactis adfusione, vel fur-
furum triticeorum, aut chamomillæ florum adje-
ctione, vel saponis veneti commixtione corrigatur.
Optimum & commodum iis utendi tempus est ver-
dimidium horæ, & ultra. Suadenda pro meliori
effectu pedum furarum regione tenus in aquam
immersio. Cavendum, ne aqua nimium calida, ali-
as contrarius evenit effectus, dum nimius calor hu-
mores nimium exæstuat, disrarat, & congestiones
auget, sed tepore imbuta sit; & si frigidiuscula fieri
incipit, adfusione aquæ calidioris in tepore confer-
vetur. Quoad effectum pediluviorum usus in
multis morbis præsertim capitis adfectibus, conge-
stionibus versus caput laudatissimus, commendatiss-
imus est. Eorum virtus se diffundit in fluidas &
solidas partes. Sanguinem enim & humores, flu-
xiles, dilutos, permeabiles reddunt, ut eo promti-
us per omnis generis vasa, & tubulos capillares elu-
centur, iisdemque liberum, æqualem iterum & redi-
rum

tum conciliant. Solidis dein partibus salutare adferunt usus. In pedibus enim humiditate illorum fotis, fibras emolliunt, relaxant, his relaxatis vasorum diametri dilatationi nunc magis obsequiosæ, ampliores redduntur, his amplioribus redditus plus sanguinis capiunt, qui versus inferiora tunc copia majori derivatur; & sic congestionum frangitur impetus, & inscuture illarum effectus præscinduntur. Si subjecta nostra sint fæmina, ab hoc pedum lavacro eo tempore absteineant, quo catameniorum fluxus instat, ne sanguinem ab utero derivando, & versus inferiora alliciendo, fluxum hunc illis tam salutarem aut turbent, aut suppressione præfocent.

§. IV.

III.) *Oculi roboratio.* Cum Dissertationis nostræ scopus sit, oculi sani, integritate sua adhuc gaudentis ab imminentibus, & pertimescendis malis præservatio: hinc abstinencia ab omnibus artificii therapæuticis undiquaque & anxie interdum conquisitis, & cæco, temerario, sciolo ausu applicatis suadenda, ne ad variorum ominosorum, & damnosorum accidentium provocationem, & eruptionem muniatur via, aut ipsius integritas corrumpatur. Optimum & tutissimum conservandi, & defendendi sani oculi præsidium est *indulgentior* atque quoad fieri potest, *moderatio* usus, *Summa consiliorum* circa hunc usum observandorum hæc esto: Subjecta nostræ Dissertationis in genere sibi caveant, ne oculum coacta videndi intentione irritent, aut intensiori

tenfiori usu eum fatigent. Hinc abftineant ab in-
 confiderato in solem per tubum limpidum inſpe-
 ctu, a frequenti, diuturno, & intempeſtivo teleſco-
 piorum, aut tuborum opticorum uſu, a temeraria
 fulgurum ſpectitatione, præſertim ſub lucis & no-
 ctis confinium, aut ipſam noctem, a lectione ſcri-
 pturarum literis minutulis expreſſarum, quas typo-
 thetæ vocare amant *Jungfern* vel *Perlen-Schrift*,
 non-parell, & obtutu in literas exoleſcentes præſer-
 tim ad lumina. Si per artificii aut opificii ratio-
 nem picturis colores floridos inducunt, aut pictu-
 ris valde minutulis operam dant, aut acu pingunt,
 aut cæſata opera conficiunt, oculo, quoad fieri pot-
 eſt, parcant. Caveant ſibi porro, ne in lacrymas
 effundantur, ne objecta molis perexiguæ, aut nimi-
 um remota oculo perlegant, illumque defigant vel
 in ipſam flammam, vel alia objecta valde radiantia,
 ut coruſcationem ſeu fulgurationem argenti, & id
 genus alia. Sic HENR. AB HEER *amauroſin* no-
 tat a nimia luce plena inſpectione, *Obſ. 4. Amauro-
 ſin in oculo ſiniſtro feminae cuidam a faſciculo ſtra-
 mineo accenſo accidiſſe* annotavit WEDELIVS
Diſſ. de amauroſi, p. 18.

§. V.

Superest *dieta* ſubjectis Diſſertationis noſtra
 commendanda. Scrupuloſa quidem non urgetur;
 interim tamen in genere omnia ea, ex eſculentorum
 & potulentorum familia exulent, quæ caput feriunt,
 tentant, gravant. Hinc cenſus hujus ſunt ex eſculen-
 tis

tis cibi speciebus largiter asperfi; it. omnia cepacea, alliacea, raphanacea, & omnia, quæ flatuum proven-
tui favent, ut sunt cum præcedentibus oleracea, legu-
minosa, fructus horæi, fermentescibilia, nimium dul-
cia, mellita, pinguedinosa, &c. quippe sub flatuum præ-
sentia humores fortius, copiosius versus caput urgen-
tur; huc spectant alvum compescentia, quippe obser-
vationum practicarum fide constat, quod sub alvi se-
gnitie, duritie caput vario modo gravetur. Ex potu-
lentorum familia ejurent omnia spiriturosa, vinosa,
præsertim si magnis haustibus siccant calices, crapu-
la exhalant; imo ne merulum quidem calicem, ob-
sensibilitatis ejusdam rationem, omnibus dare expedi-
dit; cæna ad minimum abstemia sit. Aqua pro potu
ordinario, si libeat, præsertim si jamjam sit in adsue-
to, & bonæ notæ, a miscela heterogeneorum libera,
levis, calcareo elemento, argillaceo, aut tophaceo non
referata, commendanda, vel sola, vel pauxillo vini bo-
næ notæ rhenani, aut mosellani remixta. Quoad
animi pathemata caveant sibi subjecta nostra, ne ab
ira, præsertim quæ in promptu eam gerunt, accendantur.
Sicuti enim ira in tota œconomia animali tur-
bas excitat: ita caput graviter adfcicit; sanguis enim
versus caput impetuose rapitur, quare arteriæ tempo-
rales fortius, vehementius pulsant, genæ rubent, ocu-
li tument, & scintillulas agunt. Hæc omnia citius, fa-
cilius, frequentius, periculosius oculi sani integrita-
tem labefactare valent, si in homines incidant, qui ex-
periuntur, aut experti fuere, quorum in Membr. III.
§. II. mentionem jamjam fecerimus, hinc majori cura

E

obser-

observandorum hactenus commemoratorum bene memores sint, ne iis neglectis oculum suo socio orbum videndi beneficio turpiter privent, & TIRESIA cæciores fiant.

§. VI.

Verbulum adhuc adjiciendum *de oculis illis*, ut sic loqui liceat, *emitiis & vicariis*, sive sint *conspicilla*, sive *aliæ machinule*, secundum *principia dioptrica* constructa. Num ipsorum usus pro tuenda & conservanda oculi integritate subjectis nostris sit commodus? Non possumus, quin hic B. STAHLII consilium, *Diss. de affect. oculorum* p. 33. transcribamus: *Monendum est, ne in artificialibus admniculis, nimium tribuatur Dioptrici machinamentis, antequam vel summa necessitas tale quid poscere videatur, & usus illorum plurimum adjumenti asserre sentiat: vel ipso facto, ab ejusmodi machinis, sine vel ex necessitate adhiberi jam suetis ataxia talis nudo organi usui inducta sit, quæ continuationem istius artificialis subsidii suadere, imo flagitare unice videatur.*

T A N T V M.

VIRO IUVENI GENEROSISSIMO
GABRIELI BAVIER

EQVIT. GRISON.

CANDIDATO DIGNISSIMO

S. P. D.

P R Æ S E S.

Oculum defendere doces, CANDIDATE
GENEROSISSIME! Organum inter reli-
qua sentiendi instrumenta, ex communi
tam plebejorum quam eruditorum consensu
facile princeps. Sive enim admirandam
plane oculi structuram spectes, sive finem ejus nobilissi-
mum consideres, sive summam denique ejus in omni vita
utilitatem, necessitatemque prorsus inevitabilem cogites;
sapientissimum non solum ejus auctorem, sed & mo-
ralem illam omnibus hominibus impositam necessitatem,
omni cura omnique mentis sollicitudine tuendi ocu-
los, facillime agnosces. Quodsi vero ex quacunque can-
sa, sive externa illa fuerit sive interna, oculus leditur,
hancce lesionem ut auferat, oculumque pristinae suae in-
tegritati, quantum quidem fieri potest, restituat Medi-
cus, omnem animi curam impendere debet. Saltem eo
maxime allaborandum erit Medico prudenti, ut, si alter
oculorum ledatur, alterum sollicitè defendat; facile
enim fieri solet, ut alter patiatur per consensum, cum al-
teri opem ferre allaborat provida natura. Recte itaque
fecisti, DOCTISSIME CANDIDATE, quod inaugu-
rali TVA dissertatione viam monstrare volueris satis
tutam

tutam, brevem & jucundam, quam ipsemet non solum per aliquot abhinc annis in exercitationibus clinicis, ceu optimam satis superque jam expertus es, sed alii etiam ceu tutissimum facile experiri poterunt, si eam modo debita ratione ingredi voluerint. Exhibes hoc ipso, CANDIDATE GENEROSISSIME, non solum scientie sed & artis medicæ specimen, quo dignum TE præbes, ut summi in arte salutari honores, ab illustri Medicorum ordine, in TE conferantur. Cumque non solum in consuetis examinibus, sed & sæpius in subselliis opponentium, immo etiam in laboribus nostris clinicis virum TE præstiteris; nullus plane dubito, TE talem etiam in ipso actu disputatorio fore præstiturum. Quare non possum non, quin TIBI, CANDIDATE DIGNISSIME, de dignitate doctorali ex animo gratuler; cumque jam in eo sit, ut jussu GENEROSISSIMI DOMINI PARENTIS redeas in patriam; iter felix, reditum felicem, felicem in praxi medica successum, immo quævis felicia sincera mente adprecor. Sic Vale, GENEROSISSIME CANDIDATE, resque TVAS omnes age feliciter. Scribebam in Acad. Hallensi d. IX. Novembris c1700c XLIII.

Permiscere tibi si quicquam gaudia justa,
Plausus de lauru justus & ante fuit,
Plausibus & dignis bona dignaque vota foventur;
Exigit hæc meritis NOBILIS HIC GABRIEL.
Nam verum est, musæque probant, tali indole paucos
In medicis retro nostra palæstra tulit.
HVIC GABRIEL cedit medicanti Pergamus ultro;
Non vincit dextram dextera Coa suam.
Sæuaque multis HIC pellet contagia morbis,
Et tenebras sensu a principe dexter aget.

HIC

HIC Coi exercebit quam dignissimus artem,
 Qua CVRIENSI se RHAETIA tollat agro.
 Optima molitur, verasque inquirere causas
 Suscipit; ingenii res erat ista sui.
 Dum rarum intueor studium, quo lumina lustrat,
 Artificis fabricam, luminis ante patris,
 Arridet crebro, crebroque relegere scriptum,
 Magnis ut ingenio, magnus & arte docet.
 Laurifero hinc merito nunc plaudit & omnis amicus,
 Impar materiae plausus at iste suae est.
 Nam quota doctrinae pars est in carmine amici,
 Carmine felix hanc qui numerare valet.
 Interea musae quid agant, nisi juba, plausus,
 Tibia muneribus convenit illa suis.
 Persona laetitiae sunt omnia, plausus ubique est.
 Quisque lyra laudes multiplicare studet.
 Sitor amicorum citharae nil creditur umquam,
 Creditur invidia, livor & ipse canit.
 Et soli mihi muta lyra esset, MI GABRIELIS?
 Non; ast admonitu stat mihi fronte rubor,
 O mihi sufficerent si in conamina vires,
 Mens foret in laurum nunc dare digna TVAM,
 O possem meritis dignasque rependere grates;
 Crede meis majus viribus illud opus.
 Non ego de diti possum TIBI Cræsus acervo
 Iro largiri manera pauperior.
 „Semper inoblita repetam TVA munera mente, *
 „Et mea me tellus audiet esse TVVM.
 „Hæc mihi semper erunt imis infixæ medullis,
 „Perpetuusque animæ debitor HVJVS ero.
 „TEque meæ causam Servatoremque salutis,
 „Meque TVVM libra norit & aere minus.

E 3

Lar-

* Sex commata hæc sunt Ovidii, quæ, quia optime, quod volo, expriment
 dedita opera hic retinui. Cfr. L.IV. de ponto. ep. XV.

Largior, o CARISSIME, quod valeo, accipe parvum,
 Quod TIBI debebam, pignus amicitia.
 Pro numis numeros, placida modulose Camenæ,
 Qua ponitur capiti bella corolla TVO.
 Sacra TIBI genioque TVO gentique probatæ
 Sic fero, TV felix ad mea vota fies.
 Longum iter est, quod inire paras, det robur eunti
 NVMEN, præruptam det superare viam.
 Auspiciis, precor, ito bonis, & NVMINE dextro
 Summa per imaque, per flumina sanctus abi.
 Maeste TVA, GABRIEL, virtute, & maeste corolla,
 Quam læta legit mente sophia TIBI.
 Æternum floret illa, gelu non occidit Alpum,
 Atque Lepontiadum frigore nulla perit.
 Maeste TVO, GABRIEL studio ingenioque beato,
 Haut facis indignum nobilitate TVA.
 Nobilis es natus, fies quoque nobilis isto,
 Nam crescit duplex sic TIBI nobilitas.
 Inque Lepontiadum TV vel ter nobilis oras,
 Stemmatis, musis, integritate, venis.
 O musæ, lauri huic medico concedite palmam,
 Quam meritam vobis cognitus ipse meret.
 Viatrices lauri GABRIELI cedite palmam,
 Ne vivam, si cui rectius ista datur,
 Nam Raphaël HIC est scripto monstrante futurus,
 Magnus erit GABRIEL, quantus erit RAPHAEL?

Philo-Bavarianum hoc *αγγελια* in sinceræ
 pietatis gratique animi tesseram dedit.

Joannes Regius.

Hala - Magd. M. St.

SS Ein Geist, mein Sinn ist mir betrübet,
 Warum? weil Du willst von mir gehn.
 Du, den ich so getreu geliebet,
 Als unter Brüdern kaum gesehn.

Jch

Ich liebe Dich seit ersten Stunden.
War Dir mein Herz nicht ganz getreu?
Sprich Selbst hast Du mich falsch befunden,
Und rede wie ein Schweizer frey.

Wie kömmt es denn? daß Deine Reden,
Ist schon von Deinem Scheiden sind.
Wie? man erkennt ja sonst in Nöthen,
Ob Freunde recht getreu gesinnt.
Ist dieß die Redlichkeit der Schweizer?
Nein; hör ich red aus freyer Brust,
Ich schäze sie nicht einen Kreuzer,
Denn sie gebiehet mir Schmerz statt Lust.

Seill Freund, ich will mich wieder fassen.
Denn weil Du sprichst es sey ein muß,
So will ichs gern geschehen lassen:
Wie groß vorher auch mein Verdruß.
Ist fällt mir ein wer treu geliebet,
Wenn Freunde in Vergnügen stehn,
Freut er sich mit: wenn sie betrübet,
Läßt er mit ih'n'n Betrübniß sehn.

Du eilst erfreut zum Vater-lande.
Ich stimme gerne mit Dir ein.
Wohl recht: Du kannst im freyen Stande,
In Frieden und Vergnügen seyn.
Dort wo noch Redlichkeit zu finden,
Wo die berühmten Alpen stehn,
Kan man auch in den tiefsten Gründen,
Den Seegen davon reichlich sehn.

Zieh hin, freu Dich bey ihren Spizen
Wo Mensch und Vieh sich reichlich nähret.
Wo man in Thal und tiefsten Nigen,
Die treuste Freundschaft noch verehret.

Da

Da wo sich Fried und Freyheit küssen,
Wo alles in der Liebe lebt,
Wo Berg und Thäler sich begrüßen,
Wo Gemß bey Gemß in Lüften schwebt.
Eil fort mit Deinem neuen Stande,
Den Dir mein großer Juncker giebt;
Geschwind nach Deinem Vater-Lande,
Es wart auf Dich weil es Dich liebt.
Geh hin, es wart auf Dich Vergnügen,
Es wart auf Dich die schöne Kost,
Milk, Käß, das Fleisch von Hind und Ziegen
Man hebt Dir auf den besten Most.
Die Schönste so die Alpen zieret,
Wird Dir, wird mir mein Wunsch erhört,
Nach Wunsch, vom Himmel zugeführt.
Nichts ist so Deine Ruhe stöhret.
Doch dieß mußt Du mir noch versprechen,
Ich fordre nichts als Freundschafts-Pflicht,
Wirst Du der Alpen Blumen brechen,
Laß blühen das vergiß mein nicht.


Dem Hochgeehrtesten Herrn Doctorando seinem allerliebsten
Freund, setz dieses zum immerwährenden Andencken aller-
treuest gepflogener Liebe und Treue

H. H. Seelbach, Opponens.

Der Arzney-Gelahrtheit Bestreuer aus dem Nassau-
Siegischen von Hilschenbach.







Halle, Diss., 1743

V D 18

ULB Halle
002 187 094




3

sb







1743 10
49 9

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
DE

DEFENSIONE ALTERIVS
OCVLI QVANDO ALTER QVOCVN-
QVE MODO VISV IAM PRI-
VATVS EST.

QVAM

EX CONSENSV GRATIOSI ORDINIS MEDICI

PRÆSIDE

DN. JOANNE JVNCKERO

MEDICINAE DOCTORE EIVSDEMQUE PROFESSORE
PVBLICO ORDINARIO

DECANO H. T. SPECTATISSIMO

DOMINO PATRONO, PRAECEPTORE AC PROMOTORE PATRIS
INSTAR COLENDO

PRO GRADV DOCTORIS
LEGITIME OBTINENDO

AD D. NOVEMBR. MD CC XLIII.

PVBLICE DEFENDET

AVCTOR

GABRIEL BAVIER

EQVES GRISO.

HALÆ MAGDEBYRGICÆ

Typis IOHANNIS CHRISTIANI HILLIGERI Acad. Typogr.